

Letter 232: 17 December 1524, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

The manuscript is in St.-Gall SB, Vad. Br. II, 214. The text is partly published in Schiess 1, pp. 114-15, Ep. 87. For the addressee see above, Ep. 192 headnote.

5 Gratiam Christi tecum, charissime Blaurere. Suavissimas literas tuas, quas dedisti mense Augusto, initio Decembris tantum perlatae sunt. Sic cessant interim tabelliones, aut certe negligunt ac differunt nostras voluptates. Nihil enim iucundius literis tuis suavissimis. Iam vero forte incidi in hunc adolescentem ingenio sane festivo et liberali, cui libuit has ad te, inter  
10 summas occupationes, dare. Quibus tamen non apposite ad tuas respondeo. Nam absunt apud amicos quos meis delitiis participavi. Quantum vero memoria teneo, statum ecclesiae vestrae apponis et quam atrocem ferat adhuc fatum, monachum illum dominicalem. Ex quo haud dubium, vobis fortiter obnitentibus, maior gratia evangelii confirmabitur. Adeoque speramus interim intercessisse mutationem. Diuturnum esse non potest, quod hypocritae commentitia sua pietate simulant [?].

15 Carolstadius nobis ecclesiam turbatam reddidit suis virulentis libellis. Quanta impotentia proscindit Lutherum! O scelus, o flagitium. Audet nuntium et proximum affinem Antichristi nominare, quem omnia secula testabuntur esse summum Antichristi adversarium! Clemens Gartner plebeius est, qui diurnam operam ortulanis parvo locat, ingenii non infelicis. Promptam  
20 habet vim loquendi de evangelio. Quid libelli ediderit nescio. Nam Basileae excusus est, et noster magistratus nobis insciis, ne hic venderetur, prohibuit. Ardent modo nobiscum studia. Populus abnuit ferre scortatores nec patietur amplius liberos esse sacerdotes. Res agitur summa utrinque contentione. Brevi speramus finem. Nam certum est cogentur aut abire aut ferre communia civium onera. Coenam dominicam et baptismum mutabimus ad purissimum verbum  
25 idque brevi. Reliqua papistica omnia antiquata sunt. Supersunt adhuc aliquae statuae, quas propediem eiiciemus. Hactenus satis successit. Per ocium plura; modo non vacat. Vale cum eruditissimo fratre et castissima sorore, cui pium opto maritum, utut idonea est ad celibatum. Fortiter enim omnes pro se quisque in regnum papisticum signa inferat. Levibus conflictibus tam confirmatus hostis neutiquam retrocedet. Argen. 17 Decembris anno 1524.

25 Wolfg. Capito.